

§. 6.

Datur in nobis aliquod ens, quod sui aliarumque rerum, extra se positarum, conscium est. Hoc dicitur *anima seu mens*. Character hic, quod ad præsens nostrumque attinet propositum, sufficit; ex quo mens nostra cognoscatur & ex quo illa ab aliis quibuscunque objectis diversis distinguatur.

§. 7.

Hoc *conscium esse* est primum axioma, quod in mente nostra experimur. Illud nihil aliud est, quam actus, quo mens vel se ipsam ab objectis repræsentatis vel hæc a se invicem distinguit.

§. 8.

Actus, quo mens objectum sibi quomodocunque repræsentat dicitur *perceptio in genere sumta*.

§. 9.

Actus, quo mens perceptionis alicujus sibi conscia est, a LEIBNITIO *apperceptio* dicitur. Cum ea, quæ in intellectu diversa sunt, diversimode repræsentari debeant in imaginatione per symbola ad evitandam confusionem; apperceptio a perceptione nuda merito discernitur. Solum somnum adduxisse sufficiat, in quo quidem animæ perceptiones, minus tamen apperceptiones tribuendæ veniunt.

§. 10.

Conscientia mentis nostra quidem significatione est distinctio sui a rebus & rerum repræsentatarum a se invicem. (§. 7.) Apperceptio itaque ejusmodi distinctionem vel sui ab objectis repræsentatis vel horum a se invicem involvit. (§. 9.)